



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt presbyter aut diaconus qui canonicus non est, sed in villis habitat,
nusquam summas sestiuitates celebret, nisi in ciuitatibus. ccxxxi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

Vt nomen papæ in Ecclesiis sanctis recitetur.

Cap. CCXXX.

Ex cōcil. Vāsensi. cap. 3. **E**T hoc iustum visum est nobis, vt nomen domini papæ, quicumque sedi apostolicæ præfuerit, in nostris Ecclesiis recitetur.

Vt presbyter aut diaconus qui canonicus non est, sed in villis habitat, nusquam summas festiuitates celebret, nisi in ciuitatibus. Cap. CCXXXI.

Ex cōcil. Aruernē. cap. 6. **S**I quis presbyter aut diaconus qui non in ciuitate canonice officio sancto deseruiens celebrat diuina mysteria, festiuitates præcipuas, domini Natalem, Pascha, Pentecosten, & si quæ principales sunt festiuitates reliquas dehinc ne faciat commonemus: & nusquam alibi, nisi cum episcopo suo in ciuitate festiuitates supradictas celebret. Quicumque sunt ciues laici, natu maiores, pariter modo in urbibus ad pontifices suos in prædictis festiuitatibus veniant, & ibi diuina mysteria celebriter audiant. Quod si qui improba temeritate hæc contempserint, a communione pellantur.

Vt presbyteris potestas prædicandi in suis plebibus concedatur. Cap. CCXXXII.

Ex cōcil. Vāsensi. cap. 6. **H**oc etiam pro adificatione omnium ecclesiarum, & pro vtilitate totius populi nobis placuit, vt non solum in ciuitatibus, sed etiam in omnibus, parochiis vrbium faciendi daremus presbyteris potestatem, ita vt presbyter aliqua infirmitate prohibente per seipsum non potuerit prædicare, sanctorum patrum Homeliæ à diaconibus probatis recitentur.

De clericis qui in rixa interficiuntur.

Caput CCXXXIII.

Ex cōcil. Triburi. cui. Arnolphus rex interfuit. cap. 50. **Q**uicumque clericus aut in bello, aut in rixa, aut gentium ludis mortuus fuerit, neque oblatione, neque oratione pro eo postuletur, sed in manu iudicis, sepultura tantum non priuetur.

De clericis qui à dominis suis liberi facti sunt.

Caput CCXXXIIII.

Ex concilio apud Al- **N**ullus clericus ad gradum presbyterij promouetur, nisi vt scriptum in canonibus habetur. Si enim